Quelle: https://manuscripta.at/?ID=26147
Copyright: Admont, Benediktinerstift

Sed si filius non eiusdem substantiae est cuius pater. ergo facta substantia est. Et si facta substantia
est. non omnia per ipsum facta sunt. At omnia per ipsum facta sunt. Facta ergo substantia
non est. sed una cum patre infecta substantia est. Item in eodem. Si vel filium fecit
pater quem non fecit ipse filius. non omnia per filium facta sunt. At omnia per
filium facta sunt. Ipse ergo factus non est. ut cum patre faceret omnia quae fac
ta sunt. Idem in libro octoginta .iii. questionum. Dicimus creaturam quicquid
fecit pater deus per filium. quod non potest appellari creatura. quoniam per ipsum
facta sunt omnia. Ambrosius in .i. libro de trinitate. probemus inquit
creaturam non esse dei filium. Audivimus enim in evangelio dominum man
dasse discipulis. praedicate evangelium universae creaturae. Qui
universam creaturam dicit. nullam excepit. Et ubi sunt qui creaturam
christum appellant. Nam si creatura esset. sibi mandaret evangelium
praedicari. Et subiectus esset vanitati. quia testante apostolo
omnis creatura vanitati subiecta est. Non ergo christus creatura est.
sed creator. qui docendae creaturae discipulis mandat offi
cium. De perfidia et pena arrii. Capitulum xxviii.

Arrii haec fuisse perfidia legitur. ut christum creaturam fateretur.
Ideo effusa sunt arrii viscera. atque crepuit medius prostratus Ambrosius
in faciem. ea quibus christum negaverat foeda ora pollutus. His aliisque
pluribus testimoniis instruimur non debere fateri simpliciter christum
esse factum vel creaturam. sed addita determinatione recte dici
potest. ut si dicatur factus secundum carnem vel secundum hominem. ut
factura humanitati non deo attribuatur. Ut enim ambrosius ait in
.i. libro de trinitate. non deus factus est. sed deus dei filius natus est. postea
vero secundum carnem homo factus ex MARIA est. Misit enim deus filium
suum. factum ex muliere. factum sub lege. Filium inquit suum.